

(quæſo) de temperamento hic verbosius etiam, ut plerisque facere videmus, agere? Deinde si de eo <sup>A</sup> agendum est, non tamen propterea primo loco dicendum; sed eo ubi illius consideratio requiritur. Id quod contingit, vel quum prædicere volumus, vel curationem instituere; quemadmodum optimè à Galeno est traditum: temperamētum. s. & omne, quod est secundum naturam conferre ut cognoscamus quantum à naturali statu corpus recedat. Ex quo postea quid uenturum sit, prænucciamus. Si quidem tantum periclitatur homo, quantus est hic recessus: & curationem instituimus remediorumque quantitatem moderamur. Nam vsque ad eò intendi præſidia oportet, donec illa morboſis causis redduntur æqualia. Morbi verò, & alia, quæ sunt præter naturam, facile sepe cognoscuntur absque vlla explicatione status, qui secundum naturam est. Quis enim temperamenti naturalis notas requirit, ut agnoscat febrem esse, quæ hominem tenet, quum id per se omnibus pateat? Sic si contusa, aut luxata, vel vulnerata est pars aliqua, vel præter modum excreuit, aut in alio ex his morbis, qui proprii sunt instrumentis, vitium consistit, cognitio illius temperamenti mentionem haudquaquam desiderat. Quæ si de seruanda sanitate simularum agatur, & necessaria & prima forte fuerit: si de instrumentarijs partibus conseruandis sit tractandum, de structura illarum differendum, de temperamento verò uel nunquam, uel tunc solum, quando conseruandi rationem quærimus, quæ absque tutela temperamenti fortè fieri nequit. Temere verò de naturali structura mentio fiet, quum de temperaturæ custodia deliberandum est; propterea quòd ea nihil ad id confert. Quorsum enim hominis staturam, figuram, partium numerum, situm, & connexum commemorabimus, si præſidia solum expetuntur, ad conseruandam temperiem idonea? Ergo naturalium omnium consideratio nec in ægrotantibus, nec in alijs semper necessaria: quandoquidem in sanis de temperaturæ tutela deliberare possumus absque instrumentarijs partibus. In ægris verò tunc requiritur consideratio eorum, quæ secundam naturam sunt, quum alia absque his dignosci non possunt: Sed non statim nec in omni re de omni agendum. Vbi enim de luxata parte restituenda in propriam sedem fortè deliberamus; ignoramusque, an ea exciderit à naturali positura, uel quale sit vitium, aut quantum, naturalis structuræ contemplatio iuuat, temperamentum uerò minimè. Sic ubi membrum aliquod in magnitudinem excreuit præter modum, metimur quantum sit uitium, contemplatione eius, quod sui generis est secundum naturam. Denique tunc solum commemorare debemus ea, quæ secundum naturam nobis insunt, quando alia absque his percipi nequeunt: Id quod nunc in rei ipsius cognitione, aliàs uerò in quantitate, uel qualitate, aut alia re est faciendum. Sunt enim aliquando minime à naturali statu euerſiones, ut in lentis febribus apparet, de quibus quum dubium sit, an morbus adsit, uel non, cogimur expendere quæ naturalia sunt sui generis: ex quo illud postea deprehenditur, quod alioqui intelligi non poterat. At si compertum sit febrem esse, illud uerò non pateat, quantus sit illius excessus; in hoc, quod est obscurum, petenda est cognitio ab eo, quod secundum naturam est. Et tamen semper aliquid in ægrotis, quod sui tutelam per similia postulat; aliud uerò quod sui ablationem indicat, utpotè naturæ contrarium. Nam uires ægrotantis in omni morbo tueri debet medicus: & alia omnia, in quibus vitium non est; ut corporis structuram, si sola febris urget: quæ vitium est intemperaturæ, non autem instrumentariæ <sup>D</sup> alicuius partis. Eodem pacto laborante uno membro, illi medelam adhibemus, reliqua uerò, quæ sana sunt, similibus usu in suo statu seruare contendimus. Ex quo sequitur de duobus omnino differendum esse, quum de ægris consultamus; nempe de eo, quod est secundum naturam, aut certè sui custodiam indicat: & de eo, quod præter naturam est, quod per contraria est abigendum. At quum illa diuersa sub se contineant, si quidem aliquid est in utroque statu, quod ad constitutionem corporis pertinet, & in ea naturam suam obtinet, ut sanitas, & morbus: aliud, quod est illius causa, ut humor, obstructio, putredo, & alia huius generis: aliud demum, quod ad effectus pertinet, qui in his, qui præter naturam afficiuntur, symptomata dicuntur. De his ergo est agendum: sed (ut diximus de eo) quod est præter naturam primo, & per se, de alio uero quatenus ad cognitionem alterius facit, aut sui custodiam postulat: quærendaque imprimis est natura illorum, genus, differentia, & partes: sed quoniam illa sepe latent, signa requiruntur, ex quibus quod queritur, dignoscamus. At quum ob causarum diuersitatem mutetur agendi ratio, tractationem suam postulant & causæ. Ipsa uerò curatio, & reliqua medici officia, quæ in restituendis ægris exercentur, rationem quandam exposcunt, ne temere quicquam fiat. Igitur (ut in uniuersum dicam) de morbo, symptomatis insignibus, de signis illius, causis, & actione differere debet medicus, quum de ægrotorum salute deliberat. Nam nonnunquam uocantur medici ad morbum expellendum ut febrem, nonnunquam ad dolorem mulcendum, aut somnum conciliandum urgente uigilia: aut restituendas uires collabantes: aut ad aliud symptoma, quod uehementer infestet, leniendum. At quum dubium est, an purgandum sit, uel sanguis mittendus, aut ducenda yrina in ægris, consultationes instituuntur de abigendis causis. Integre tamen consultationes fiunt, ut de omnibus deliberemus, quæ in ægrotante reperiuntur salutem impedire, & præter naturam affligunt. Nec plura habet præcipua capita hæc tractatio. Nam reliqua considerationem